



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio Octava. De Immensitate Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

VIII.  
Tres negationes constituendo numerum ternarium negationum, tollunt numerum ternarium positivum.

At inquit, negatio Petri, negatio Pauli, & negatio Joannis tollunt ternarium numerum, ergo non possunt numerum ternarium conficere, hoc quippe implicare videtur in adjecto. Contra: ergo calor A. productus in subiecto frigido A. calor B. in subiecto B. calor C. in subiecto C. non possunt constituere numerum ternarium, cum tollant numerum ternarium, tria scilicet frigora ex illis tribus subiectis: sicut itaque triplex hic calor, licet tollat numerum ternarium frigorum, illa destruendo, potest nihilominus conficere numerum ternarium calorum; ita nil vetat quod minus negationes tollentes numerum rerum positivarum, conficiant numerum negationum; quod enim calores

illi faciunt contrariè, faciunt non esse seu negationes contradictoriè: nec tres illæ negationes tollunt omnem numerum, sed tantum Petri, Pauli, & Joannis. Verum hac de re in præsentis fati; hoc idem namque latè tractavi Disp. 18. logicæ præcipuè Sect. 2. 3. & quartâ: quæ si perfectè penetrasset hic Auctor, numquam ut existimo dixisset hoc argumentum esse frivolum.

Aliis ergo oculis hanc difficultatem intuentes ingeniosi quidam recentiores multa circa eam acutè excogitarunt, quibus proinde, cum quæ afferunt dignissima sint quibus respondeatur, aliâ datâ occasione satisfacere conabor?

Quod forma positiva faciunt contrariè, negationes faciunt contrariè.

IX. Aliorum huius argumenti solutiones.

# DISPUTATIO OCTAVA.

## De Immensitate Dei.

### SECTIO PRIMA.

#### Immensitas Divina declaratur, & quibus modis in creaturis Deus existat.

I.  
Varii circa Immensitatem Dei Antiquorum errores.



ARII olim apud antiquos extiterunt circa Immensitatem Dei errores. Aristoteles duas refert hac de re Philosophorum sententias: alii namque Deum in Universi centro collocabant: alii in circumferentia. Primi ideo in centro eum constituebant, quod is locus illis apertissimus videretur, ut efficaciarum suarum radios undique in res omnes diffunderet: in circumferentiâ verò ab aliis existere dicebatur, tanquam in loco supremo ac dignissimo. Averroës verò Disp. 14. contra Algazelem, pueros vocat eos, qui Deum in rebus omnibus existere arbitrantur.

II.  
Quid de Immensitate Divina sentierit Aristoteles.

Quæ hac in re mens fuerit Aristotelis, incertum: variis enim locis insinuat Deum intra supremi tantum cæli ambitum contineri, indeque inferiora hæc & caduca administrare. Sic de Deo loquitur lib. 1. de Cælo, cap. 3. t. 22. & cap. 9. libro etiam 2. de Generat. c. 10. t. 59. ait hæc inferiora perpetuò conservari non posse, quia longè absunt ab ipso principio, seu primo motore. Tandem libro de Mundo ad Alexandrum, tam clarè docet, Deum in cælo tantum residere, & inde sublunaria omnia administrare, ut nullus alius modus sit Philosophum ab hoc errore eximendi, quàm (quod multi ob hoc ipsum faciunt) negando librum illum esse Aristotelis. Quod tamen, ut ait Soarez tom. 2. Metaph. disp. 30. sect. 7. num. 48. factum difficile est, ob auctoritatem, tum Justinii Philosophi, tum aliorum, qui in rebus ad antiquitatem spectantibus, maxime erant versati, & librum hunc Aristotelis esse constanter asseverant.

III.  
Augustini Eugubini de Immensitate Dei error.

Hanc Aristotelis sententiam ex Catholicis amplectitur Augustinus Eugubinus in Psalm. 138. ubi ait, sicut Sol in Cælo fixus, omnia radiis collustrat, & à nullâ re inquinatur; ita Deus quoad substantiam intra solius cæli ambitum contentus, in res sublunares influxum transmittit, iniquationis & sordium securus. Mitto hæc Judæorum quorundam delirium, qui, teste S. Hieronymo in illa ver-

ba Isaiæ 66. Cælum mihi sedes, Deum templo Hierosolymitano clauderant.

Sed his omnibus, ut inanibus figmentis & somniis, rejectis, Veritas Catholica est, eademque lumine naturali manifesta, Deum rebus omnibus & singulis intimè esse præsentem. Probatur in primis ex illo Isaiæ 66. v. 1. Cælum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum. Jerem. etiam 23. v. 24. Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et ut innumera hujus generis scripturæ loca omitam, in Concilio Lateranensi Cap. Firmiter de Sum. Trin. definitur hæc veritas. Quod scilicet unus solus est Verus Deus, immensus. Et in Athanasii Symbolo dicitur, Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus.

Idipsum clarissimè docent Patres: Sic S. Cyrillus Alexan. in locum illum Jeremiæ 23. proximè citatum, Implet, inquit, omnia Dominus, & plena ejus sunt terra & cælum. S. Cypria. lib. de Vanitate Idol. Deus, inquit, est totus ubique diffusus. S. Hilarius l. 1. de Trin. Nullus sine Deo locus est. Denique, ut alios omitam, hanc Dei Immensitatem pulcherrimè describit S. Augustinus in Psalm. 138. his Verbis: Quis potest fugere in mundo ab illo spiritu, quo plenus est mundus? quis est locus receptivus fugitivorum Dei? Vbi non est Deus? quod ergo ibi fugitivus iste à facie Dei, &c. Ecce ille ubique est.

Ratio demum est: Immensitas namque, seu esse omni loco præsentem, est perfectio simpliciter simplex, quæque melior est ipsa, quàm non ipsa in quolibet individuo, ut per se videtur notum, ergo est Deo concedenda, alioquin non haberet omnem perfectionem simpliciter simplicem, seu quam posset habere, cum, ut supra, Disp. 6. sect. 1. & 2. ostendi, una perfectio simpliciter simplex aliam ab eodem subiecto, vel quasi subiecto, non excludat, sicque Deus non esset perfectissimus. Conf. Angeli, ut supra diximus, quod perfectiores, eò majorem & ampliorem habent spheram: ergo Deus, qui, ut Disp. præcedente ostendi, est infinitè perfectus, spheram habere debet infinitam.

Dices, arguere quidem, perfectione posse spheram infinitam occupare, non tamen illam occupare necessario; major siquidem videtur perfectio, posse eam occupare pro libito, & nunc in unâ, nunc aliâ ipsius parte liberè existere, nunc etiam se per totam diffundere, suique hac in parte juris esse, non

IV. Certum est, Deum rebus omnibus intimè esse præsentem.

V. Dei Immensitatem clarissimè docent Patres.

VI. Immensus est perfectio simpliciter simplex, quæque melior est ipsa, quàm non ipsa in quolibet individuo.

VII. Verum tamen omne spiritum quod occupare potest, occupet semper necessario.

SECTIO SECUNDA.

An intima Dei cum omnibus rebus presentia recte inferatur ex eo quod in omnibus operaretur.

non omni semper loco alligari. Res hæc primâ facie videtur plausibilis, & quandam præ se ferre speciem probabilitatis: si tamen quis cam propius intueatur, videbit apertam in se involvere contradictionem, nec fieri posse sine mutatione Dei.

**VIII.** Quamvis itaque quando primò mundus fuit productus, facile intelligatur, quo pacto Deus illi redditus fuerit præfens, per solam scilicet mutationem ex parte mundi: sicut arbor, aut columna, in medio fluvii sita, per aquæ præterlabentis mutationem, immota ipsa nunc uni aquæ parti præfens est, nunc alteri; si tamen in medio stagni arbor illa staret, vel columna, ubi nullus est aquarum fluxus aut mutatio, inintelligibile planè est quo pacto nunc in unâ stagni parte, nunc in alterâ, & diversis successivè illius aquæ partibus reddatur præfens, nisi columna mutetur, cum tota aqua maneat, ut supponimus, immota. Sic, cum jam mundus sit productus, & res omnes, suis quæque locis immobiliter sitæ, ita ut nec terra ad cæli locum ascendere, nec cælum in terram descendere valeat, si Deus nunc in cælo esset, nunc eo relicto, in terrâ versaretur, necessariò deberet mutari, cum nulla facta sit in rebus creatis mutatio. Quare planè necessarium est, ut Deus spatium omne, quod occupare potest, occupet indefinenter, rebusque semper omnibus sit præfens.

**IX.** Objicies: non decere tantam majestatem, ita se deprimeri, ut minimo pulvisculo, & rebus etiam quibusque sordidissimis sit præfens. Resp. nullam in hoc esse indecentiam: Deus quippe, purissimus spiritus cum sit, & perfectissimè immortalis, nihil ab his rebus provenire potest, quod nævum ei aliquem aspergat. Ad quam rem pulchrè S. Augustinus: *Si lux ista, inquit, visibilia omnia loca illustrat, & serquinia etiam penetrat sine sui fatore, & sine sui pollutione, quanto magis Deus, qui est invisibilis, & incommutabilis lux?* Hæc ille. Quoad modum tamen loquendi observat S. Thomas hic, q. 8. a. 1. ad 4. Cum demonum nomine intelligantur Angeli peccato & malitiâ deformati, non esse absolute dicendum, Deum esse in demonibus, nisi cum hac additione, *in quantum sunt res quadam.*

**X.** Objicies secundo: in Scripturâ dicitur Deus habitare in cælis, Psal. 122. Item, *Cælum cæli Domino*, Psal. 113. & in Oratione Dominicâ, *Pater noster qui es in cælis*. Sed hæc non urgent: sic enim in Scripturâ dicitur Deus nosse justos, non tamen propterea sequitur, eum ignorare alia. Ideo autem peculiariter modo dicitur esse in cælis, quia ibi per præstantissimos quosdam effectus, gloriam suam & magnificentiam ostendit. Quæ etiam de causâ, homines, dum orant, cælum ut plurimum suspiciunt.

**XI.** Deus tribus modis in creaturis omnibus existit, ut cum Magistro in 1. d. 37. & S. Thomâ, 1. p. q. 8. a. 3. affirmant Theologi omnes; per *Potentiam*, *Presentiam*, & *Essentiam*, seu substantiam. Per *Potentiam*, quia omnia creat & conservat: per *Presentiam*, quod omnibus adfit, eaque præfens intueatur: qua de causâ in rebus possibilibus, quas intuitivè non videt, sed per scientiam tantum simplicis intelligentiæ eas cognoscit, non dicitur esse per *Presentiam*. Denique, in rebus omnibus est per *Essentiam*, seu substantiam, ratione Immenfitatis, per quam ubique est diffusus, & rei omni creatæ intimè existit præfens, ut jam declaratum est.

S. Aug. de triplici habitaculo, cap. 6. 1. 9.

Chr. Deus dicitur peculiariter esse in cælis.

Deus in creaturis est per Potentiam, Præsentiam, & Essentiam.

**II.** hæc in re oppositæ sunt Theologorum sententiæ: prima est affirmativa: Ita S. Thomas hic, q. 8. a. 1. quem sequuntur Thomistæ, Ferrara, Cajetanus, & alii: tenet etiam Albertus in 1. d. 37. a. 1. Alensis, 1. p. q. 9. m. 2. S. Bonavent. d. 37. 1. p. a. 1. q. 1. Valentia 1. p. q. 8. p. 1. Suarez d. 30. Metaph. sect. 2. & hic, l. 2. c. 2. n. 7. Granada 1. p. trac. 3. d. 3. sect. 5. n. 39. Tandem Molina hic, q. 8. a. 1. d. 2. ita id certam esse existimat, ut contrariam sententiam, non fallam tantum, & doctrinæ Aristotelis apertè contrariam appelleret, sed etiam parum tutam in fide, utpote nonnullis Scripturæ testimoniis repugnantem. Sed quàm immeritò tam gravi censurâ sententia illa notetur, hujus decursu sectionis videbimus, eamque nec auctoritate, nec ratione esse destitutam.

In primis itaque pro sententiâ negante ex operatione Dei circa res creatas argui intimam illius cum ipsidem presentiam, facit, quod ne quidem in creatis hoc requiratur, sed ad summum, propinquitas, seu, ut agens applicetur passivo. Sic, ut ignis formam suam in materiam ligni introducat, non est necessarium ut intimè cum ligno penetretur, sed tantum ut eidem sit proximus, & secundum extimam superficiem conjungatur. Idem est de aliis omnibus agentibus, in quibus, ut operationes suas in res alias exercent, sufficit ut iis conjungantur; ergo ex operatione Dei in res creatas, ad summum requiritur, ut proximè illis adsit, non ut eodem cum iis loco existat, sicque hoc nomine non rectè arguitur intima illius cum rebus omnibus presentia.

Respondet P. Granada loco citato, n. 42. concludere quidem hoc argumentum, ex operatione præcisè non probari Deum esse rebus omnibus creatis intimè præsentem, rectè tamen hoc inferri ex operandi modo; Deus siquidem agit ut causa prima, cujus concursus est omnibus rebus necessarius; hic autem modus causandi arguit virtutem infinitam, virtus verò infinita Essentiam infinitam, Essentiæ demum infinitæ debetur immensitas, ergo ex operatione Dei in creaturas, inferitur eum esse iis intimè præsentem.

Sed contra: hic enim respondendi modus præfenti quæstioni omnino non satisfacit. Quod enim quaritur, est, utrum ex operatione Dei, peculiariter probetur intima ejus cum rebus, quas producit, presentia, magis quàm alia illius attributa; at secundum hunc modum argumentandi, ex actione qua Deus producit equum, leonem, aut formicam, æquè inferitur eum esse Misericordem, aut Justum, ac esse rebus illis intimè præsentem: eodem enim modo arguere quis posset, Deus ut causa prima, producit formicam, ergo habet vim infinitam, ergo & essentiam infinitam, essentiæ autem infinitæ (ut d. 6. sect. 2. & d. præcedente, sect. 3. ostensum est) debentur perfectiones omnes simpliciter simplices, *Misericordia, Justitia, &c.* ergo ex creatione equi, aut formicæ, æquè inferitur, Deum esse Misericordem, ac rebus illis intimè præsentem. Tandem, hæc via procedendi solum probat, Deum esse intimè rebus præsentem

I. Prima sententia aut, rectè præfentia Dei presentia ex ejusdem operatione.

II. Ad operationem non requiritur intima presentia, sed propinquitas.

III. Dicitur non ex actione præcisè, sed ex agendi modo, inferri, Deum esse rebus creatis intimè præsentem.

IV. Variis modis refellitur hæc responsio.

ratione Immensitatis, non operationis.

V. *Æquè ex cognitione, ac operatione, infertur Deum esse rebus omnibus intimè præsentem.*

Uterius, secundum hunc argumentandi modum, æquè ex cognitione Dei, atque ex ejusdem operatione, infertur Deum esse rebus omnibus intimè præsentem. Sic enim eadem formâ argui potest, is cui rerum omnium, etiam secretorum cordis, cognitio comprehensiva debetur, scientiam habet infinitam, scientia autem infinita infert essentiam infinitam, hæc immensitatem, ergo ex scientiâ Dei infertur intima ejus in omnibus rebus præsentia, cum tamen scientia, secundum omnes, propinquitatem cum objecto non requirat.

VI. *Creatura divinitus agere potest in distans, ergo à fortiori Deus.*

Secundò pro hac sententiâ asserente, non rectè ex operatione inferri intimam Dei cum rebus omnibus præsentiam facit communis Scholasticorum sententiâ, qui affirmant posse creaturam divinitus, seu ut instrumentum à Deo elevatum, agere in distans; ergo à fortiori id poterit Deus, quantum ad naturam actionis. Quare, ut rectè Tannerus hic, Disp. 2. q. 4. dub. 2. num. 6. si Deus, habens infinitam vim agendi, certo tantum loco per impossibile, in sole ex. gratia, vel Cælo Empyreo existeret, posset nihilominus rem aliquam à Cælo distantem producere, nihil producendo in medio.

SECTIO TERTIA.

Argumenta contendentiâ, ex operatione Dei inferri intimam ejus cum rebus omnibus præsentiam.

I. *Majorem arguit perfectionem, posse agere in distans.*

OBJICIES primo: majorem arguit perfectionem, ita operari, ut abesse nequeat à re, quam producit: ergo de Deo, cui optima quæque, & perfectissima tribuenda sunt, hoc affirmandum. Resp. negando antecedens; imò majorem perfectionem denotat, ut causâ in agendo sit à contactu, seu propinquitate cum passio penitus independens, nullosque sibi hac in parte limites habeat præscriptos, nec medium ad operandum requirat, sed nullo interjecto possit actionem & concursum in quacunque distantia trajicere. Sicut majorem in Angelo, secundum omnes, arguit perfectionem, moveri posse motu discreto, seu ita ut non transeat per medium, quàm si moveri solum possit motu continuo, prius scilicet loca propinqua pertranscundo, quàm pertingere queat ad remota.

*Declaratur motu discreto Angeli.*

II. *Immensitas est summa perfectio, sed non rectè infertur ex productione creaturaru.*

Arguit quidem perfectionem in Deo, esse eum ubique, & habere Immensitatem; idque, ut sect. præcedente ostendi, est ei planè necessarium; hoc tamen ex operatione præcisè non deducitur, imò majorem, ut dixi, arguit, per se loquendo, perfectionem, in operando non dependere à medio, sed posse operari in distans, etiam si nihil producat in spatio interjecto. Unde Aristoteles, ut sect. præcedente, num. 2. dictum est, Deum unius cæli supremi ambitu contineri, indeque res omnes influxu suo producere & conservare, Universumque administrare affirmabat, & hoc quandam præ se ferre dignitatem & perfectionem asserbat. Licet verò in eo erraverit, ut, loco citato ostendi, quod Deum certo loco definitur, ad hoc tamen deservit hæc Philosophi sententiâ, ut ostendamus intimam Dei cum rebus omnibus præsentiam, lumine naturæ ex ejusdem operatione non convinci, & perfectionem quandam, per se loquendo, præ se ferre, non egere medio ad operandum, sed posse

agere in distans, & causalitatem atque influxum, etiam in remota immediatè trajicere.

Objicies secundò loca quædam Scripturæ, & inprimis illud Psal. 138. v. 10. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennis meas diluculo, & habuero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* At sanè hic locus Scripturæ non probat Deum esse rebus creatis intimè præsentem, sed ad summum esse illis proximè applicatum; sic enim inter homines videmus, ut quis alium de loco in locum deducat, non esse necessarium, ut sit illi intimè præfens, sed sufficere ut sit ei proximus, manûque ejus apprehensâ, huc illuc ipsum moveat, licet cum eo non penetretur.

III. *Explicitus locus illo Scripturæ, Si ascendero in cælum, &c.*

Adde, ne quidem hujusmodi propinquitatem ex hoc Scripturæ testimonio probari; per manum namque hoc loco, ut ait, S. Hieronymus, & S. Chryostomus, idemque exultimat Card. Bellarminus, & alii, non intelligitur physica Dei potentia, & operatio, sed intentionalis, seu Dei providentiâ, per quam rerum omnium, ubicunque fuerint, curam gerit. Unde totus ille Psalmus agit de cognitione ac providentiâ Dei, ut legenti constabit.

IV. *Alia loci illius interpretatio.*

Alius Scripturæ locus ad probandum, ex operatione Dei ostendi intimam illius cum rebus omnibus præsentiam, desumitur ex Act. 17. v. 27. ubi de Deo loquens ait Apostolus, *Non longè est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* At sanè hic locus minus probat quàm præcedens: primò enim dici mihi posse videtur, particulam, *In*, non denotare causalitatem, seu actionem Dei, esse nobis, vitam, & motum dantis, sed solum præsentiam, quasi diceret, Deus non longè à nobis abest, utpote cui intimè præsentem vivimus, movemur, & sumus: sicut si quis diceret, aer est undique diffusus, in quo nimirum homines, & reliqua animalia existunt, vivunt, & moventur.

V. *Quo pacto intelligendū sit illud, Non longè est ab unoquoque nostrum, &c.*

Siquis verò intelligendum hunc locum putet de concursu & operatione Dei, qua nobis vitam, motum, & esse tribuit, & particulas illas *In ipso* idem esse velit, ac *per ipsam*, dico intentum Apostoli eo loco esse, per operationem & concursum Dei, probare non physicam Dei præsentiam, sed intentionalem, seu quòd facile cognosci possit, & ex effectibus innotescere, ideoque non longè abest à cognitione nostrâ, cum *in eo*, hoc est, per eum, seu illo conservante, vivamus, moveamur, & sumus; sicque ejus existentia & notitia nobis ex rebus, quas oculis cernimus, & manibus tractamus, reddatur quodammodo palpabilis. Hoc ergo nomine reprehendit Athenienses, quòd cum Dei cognitio sit adeò facilis ex effectibus, eum tamen ignorarent, & aram erigerent IGNOTO DEO: ut latius Dixi in Philosophia, Disp. 36. Phys. sect. 3. n. 1. & 2. quo etiam modo hunc locum explicat Pater Vasq. 1. p. d. 28. c. 4. num. 14. & Lorinus in c. 17. Act. v. 27. & alii.

VI. *Locus illo Act. 17. non probat præsentiam Dei physicam, sed intentionalem.*

Objicies tertio: si Deus, quantum est ex vi actionis, agere queat non immediatè *immediatione suppositi*, seu ita, ut rei quam producit, non sit proximus, ergo & agere potest non immediatè *immediatione virtutis*, seu non influere in res omnes per se immediatè, sed per rem aliquam creatam, opinioque Durandi sustineri poterit, dicentis Deum ad res omnes creatas immediatè non concurrere.

VII. *Dicitur: si Deus agere possit non immediatè immediatione suppositi, ergo & virtutis.*

Resp. negando consequentiam: tum quia non adeò perfectè res creatæ à Deo dependerent; tum quia Deus non adeò plenum & perfectum haberet in res omnes dominium; tum ob alias causas quas attuli

VIII. *Cur Deus agere nequeat, nisi immediatè immediatione virtutis.*

attuli Disp. 28. Phys. sect. 1. & secundâ. Adde, ut Deus agat immediatè *immediatione suppositi*, non requiri ut sit rei, quam producit, intimè præfens; sed sufficere, quòd ei immediatè conjungatur: sicut ignis immediatè *immediatione suppositi* agit in lignum sibi applicatum, cum quo tamen intimè non penetratur. Unde, hinc nullum deducitur argumentum ad operandù non immediatè *immediatione virtutis*.

SECTIO QUARTA.

*Utrum Deus ita ubique diffusus sit, ut etiam existat in spatio imaginariis.*

**I.** REM hanc fusè in Philosophia discussi, Disp. 33. Phys. sect. 4. sed cum eam à Theologis hoc loco passim disputari videam, non existimavi in præsentì omittendam.

**II.** Inprimis itaque, dari spatium imaginarium probavi Disp. illâ 33. Phys. sect. 2. conditionesque ad illud requisitas ibidem recensui. Variis insuper hoc spatium explicandi modis rejectis, ostendi in negatione situm esse, vel simpliciter, siquis illud in negatione Chimere, Hippocervi scilicet, aut Trigelaphi, in infinitum secundùm diversas partes heterogeneas, easque intollibiles diffusâ constituere velit (quod mihi modò non videtur improbabile) vel si hoc cuiquam minus placeat, mundumque realem nihil cum entibus rationis, eorumve negationibus habere velit commercii, (quod ibidem sect. 1. num. 9. insinuavi) dicere poterit spatium imaginarium constari ex variis partibus non tollibilibus ubicationum realium, ut loco citato, sect. 2. præcipuè num. 6. & 7. declaravi.

**III.** Porro, dari hujusmodi negationes, easque secundùm diversas partes heterogeneas in infinitum esse diffusas, ostendi Disp. 18. Log. sect. 9. & d. 33. Physicæ, sect. 2. num. 3. & 4. quæ hic, utpote merè Philosophicæ, non sunt repetenda.

**IV.** Prima igitur sententia negat Deum in spatio imaginariis supra cælos existere. Ita S. Bonav. in 1. d. 37. à nonnullis tamen citatur pro contrariâ sententiâ: Scotus ibidem, q. 17. quem sequitur Faber in 1. Disp. 52. cap. 3. Vasq. 1. p. d. 29. c. 2. Granado 1. p. d. 3. sect. 2. Fasolus 1. p. q. 8. a. 2. d. 3. Moncæus d. 1. c. 2. Meratius 1. p. d. 3. sect. 1. & 4. Oviedo Controv. 15. Phys. pu. 3. num. 3. Tanneus 1. p. disp. 2. q. 4. dub. 4. quamvis hic quaestionem videatur facere de nomine. Idem dicere debent Thomistæ: cum enim spiritum non aliter asserunt esse in loco, quam per operationem transeuntem quam circa rem corpoream exercet, sequitur apertè, Deum in vacuo, aut spatio illis imaginariis supra cælum Empyreum esse non posse.

**V.** Secunda sententia affirmat Deum esse in spatio imaginariis: ita Major in 1. d. 37. q. 2. & in 2. d. 1. q. 1. Sotus lib. 4. Phys. q. 2. Cajet. in cap. 22. Joann. Bannez 1. p. q. 8. a. 2. Suarez d. 30. Met. sect. 7. num. 30. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 15. q. 9. sect. 4. Molina 1. p. q. 8. a. 2. d. 3. Valentia 1. p. q. 8. p. 1. Arrubal d. 11. c. 6. Gammachæus 1. p. q. 8. c. 2. Becanus c. 6. q. 2. Lessius de Perfecte Divin. l. 2. c. 2. Hurtado d. 14. Phys. sect. 4. Arriaga d. 14. Phys. sect. 4. num. 69. Raynaudus d. 7. q. 1. a. 6. Smisingus d. 5. q. 2. Albertinus in Prædic. Ibi, q. 2. Huic etiam sententiæ favet S. Thomas quodl. 11. a. 1. ubi ait, *Deum non tantum esse in his quæ sunt, sed etiam in quæ possunt imaginari*.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 1.

Hanc etiam sententiam, ut refert Augustinus Eugubinus lib. 4. perenni Phil. c. 1. & 2. docuerunt Plato, & alii plerique ex antiquis Philosophis. Ad quam rem appositè Hermes Ægyptiorum Legislator, Deum *Circulum* esse dicebat, *cujus centrum ubique est, circumferentia nusquam*. Unde; Deum non intra mundum tantum existere, sed supra cælum in immensum diffundi, existimabat.

Mihi hac in re multo semper probabilior visa est secunda sententia: cum cujus proinde auctori- bus dico, Deum in infinitis spatio imaginariis supra cælum existere. Probatur primò ex illo Job cap. 11. vers. 8. ubi de Deo loquens, sic habet: *Excelsior cælo est*; & secundùm communem Interpretum sensum sermo illic est de immensitate Dei. Hoc etiam probat, quòd canit Ecclesia, *Quem totus non capit orbis*: censet ergo Deum per suam immensitatem diffundi ultra orbem, estque intimè præsentem & penetratum actu cum spatio illis imaginariis, supra cælum Empyreum in immensum protentis.

Hoc ipsum sæpè testantur Patres, qui ex illo Job, & similibus Scripturæ locis docent, *Deum esse intra omnia, & extra omnia, intrinsecum, forinsecum, circumfusum, &c.* Qui loquendi modi reperiuntur apud S. Hieronymum in cap. 66. Isaie v. 1. S. Augustinum in appendice de Essentia Divin. & alios. Sanctus etiam Dionysius de Div. Nominib. cap. 1. *Deus, inquit, in cælo est, atque in terra, in mundo, circa mundum, supra mundum, & supra cælum, &c.* & cap. 9. sic habet: *Deus extrinsecus supra omnem magnitudinem funditur, & supra extenditur*. Consonat his S. Gregorius Homil. 17. in Ezechielem: *Deus, inquit, est interior, & exterior, replendo interior, circumdando exterior*. Ergo Deus secundùm S. Dionysium, est *supra cælum*, secundùm S. Gregorium, totum hoc Universum *circundat*, ac demum secundùm S. Hieronymum & S. Augustinum, est *extra omnia circumfusus*. Ex quibus apertè constare videtur, hanc fuisse mentem & communem sensum sanctorum Patrum; tam clarè enim his locis loquuntur, ut de eorum mente dubitare nemo possit, nec aliter eos intelligere, nisi eorum verba in peregrinos & improprios sensus distorquendo, dicunt namque Deum actu supra cælos existere.

Ratio verò est primò: Deus enim actu est immensus; ergo actu existit in infinitis spatio imaginariis extra cælum, in immensum protentis; esse quippe actu immensum, est esse actu in infinitum diffusum, ac talem habere præsentiam, ut re aliqua supra Cælum Empyreum creatâ, Deus ipso factò esset ei præfens, intimèque cum eâ penetratus.

Secunda hujus rei ratio est: si enim homo quispian supra cælum Empyreum ita collocaretur, ut pedibus illud tangeret, (quod de Humanitate Christi passim dici solet) posset Deus corpus illius hominis annihilare, nullâ in ejus animâ, factâ quoad locum mutatione; ergo anima illa esset in spatio imaginario, ergo & Deus; esset enim animæ illi intimè præfens, ergo eodem loco esse posset, licet nulla ibi esset anima.

Ratio est tertio: nullo enim fundamento negaretur, posse Angelum vel primò creari supra cælum, uno alteròve palmo, aut ulnâ à cælo distantem, vel saltem in cælo creatum posse illic se pro libito conferre; ergo illic de factò est Deus, imò in immensum supra cælum diffusus; Angelus namque posset in quacunque distantia à cælo Empyreum, ulterius & ulterius in infinitum creari, ergo & Deus potest remotius & remotius in infinitum in illo Angelo existere, ergo & existere hoc modo potest sine.

**VI.** Deum esse in spatio imaginariis dicebant Philosophi.

Hermes Trismegistus.

**VII.** Deum actu esse in spatio imaginariis.

**VIII.** Patres Deum asserunt in spatio imaginariis existere.

**IX.** Ratione ostenditur, Deum esse in spatio imaginariis.

**X.** Secunda hujus rei ratio.

**XI.** Angelus existere potest supra cælum, Ergo illic de factò existit Deus.

sine Angelo; cur enim non æquè id potest Deus, ac Angelus; ergo & de facto sic existit: hoc autem, nisi quæstio fiat de nomine, est Deum esse in spatiis imaginariis, actu scilicet supra cælum in infinitum diffusum.

XII.  
Vltimus ex-  
emplo huius  
Angeli ostē-  
ditur, Deum  
actu existe-  
re supra cæ-  
lum.

Alioqui se-  
queretur,  
Deum à se-  
ipso esse di-  
uisum.

XIII.  
Sequeretur  
etiā, Deum  
circularem,  
esse aut tri-  
angularem.

XIV.  
Deus existit  
ante omne  
tempus rea-  
le, Ergo &  
existit extra  
omne reale  
spatium.

Conf. primò: Angelus hoc modo supra cælum, ac totam uniuersū huius machinam creatus, aut eò se ex Cælo Emyreo conferens, posset illic se movere, & novam ac novam ubicationem heterogeneam successivè acquirere; ergo vel Deus antea illic erat, vel successivè cum Angelo movetur, cum secundum omnes debeat Deus illi, & rebus omnibus esse intimè præsens; Deum autem successivè moveri, dici nullo modo potest, aut locum mutare. Quod etiam argumentum fieri solet de re corporeā, ut si Deus totum hunc mundum in unam partem propelleret, aut duos mundos crearet loco distitos; tunc enim in primo casu sequeretur Deum unā cum mundo, cui necessariò intimè præsens est, moveri, in altero à seipso distare, cum in duobus illis mundis à se divisus existeret. Imò, altero ex hisce mundis annihilato, Deus loco illo esse definirer, sicque locum mutaret.

Conf. secundò: hic Angelus supra Cælum Emyreum constitutus, vario se posset identem situ collocare, & nunc colligere in circulum, nunc triangulum, nunc in longum protendere, & in alias & alias huiusmodi ubicationes & formas se pro libito transferre; ergo si Deus actu ultra Angelum illum non diffundatur, tam formas illas & figuras habebit, quàm Angelus. Sicut quia anima in humano corpore, ultra illud non extenditur, verè ubicationem habet in figuram humani corporis efformatam. Quod argumentum fortius urget, si ponamus Deum, ut potest, rem quampiam materialem solam, hac vel illā figurā, circulari scilicet, ut spheram aliquam unicam cælestem, aut globum solis, tantum, vel rem aliquam unam, eamque quadratam producere: in hoc casu, si Deus ultra res hæc non diffundatur, necessariò eas omnes formas inducet, quod Deo planè videtur indignum.

Ratio Conclusionis est quartò: Deus extitit ante omne tempus reale, alioqui non extitisset verè ante mundum conditum, quod dici nullo modo potest; contrarium enim apertè docet Scriptura, sic namque loquitur Psalmista: Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo & usque in sæculum tu es Deus. Psal. 89. v. 2. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. Proverb. 8. v. 24. idemque alibi sapissimè in divinis Literis habetur; ergo similiter existit extra mundū, & omne spatium reale; nulla namque assignari potest differentia, nec enim minus necessarium est rem spirituales, si existat, alicubi, quàm aliquando existere.

SECTIO QUINTA.

Argumentorum solutione, magis declaratur existentia Dei in spatiis imaginariis.

I.  
Dicit, spatia  
imaginaria  
nihil sunt,  
Ergo in iis  
Deus nequit  
existere.

OBJICITUR primò à P. Tannero 1. part. d. 2. quæst. 4. d. 4. num. tertio & quarto, & P. Granada citato, sect. 2. num. 10. spatium imaginarium reipsa nihil est, sed ad summum, quid fictitium, ergo Deus in eo existere non potest; absurdum quippè est dicere, inquit Tannerus, Deum esse in Hirco-cervo, aut Hippocentauro.

Deinde, si detur huiusmodi spatium, debet esse infinitum; quod, inquit idem, non minus est absurdum. Tertio, si Deus sit in spatiis extra mundum, Ergo & in tempore ante mundum conditum, quod tamen, inquit ille, dici nullo modo potest.

Hoc argumentum sine dubio vim contra eos habet, qui spatium imaginarium aut nihil omnino esse asserunt, aut quid merè fictitium. In nostrā autem sententia planè non urget. Dico itaque, spatium imaginarium, nec quid reale esse, nec fictitium, sed in negationibus quibusdam consistere, quæ & ab æterno fuerunt, & in infinitum, undique suo modo diffunduntur, ut ostendi Disputatione decima-octavā, Logicæ & Disp. 33. Physicæ sect. 2. cum enim nulla res creata fuerit ab æterno, necessariò existere ab æterno debebant rerum omnium creaturarum negationes, & cum nullibi etiam extiterint, debebant pariter earum negationes suo modo esse ubique: unum enim ex contradictoriis semper & ubique sit necesse est. Unde ad tertium similiter dico, Deum ante mundum conditum fuisse in tempore imaginario, prius & prius in infinitum à parte antè fluente: quod in negationibus etiam quibusdam situm esse ostendi Disputatione trigesima-septimā Phys. Sectione secundā.

Instat P. Granada citatus, num. 11. non posse spatium imaginarium statui in negatione; posita enim re, tollitur ejus negatio: spatium autem imaginarium, fixum esse debet, & immobile, ut in Phys. loco citato ostendi. Resp. Probare hoc quidem, spatium imaginarium in quavis negatione consistere non posse: mundo enim producto, tollitur ejus negatio, saltem eo loco ubi mundus producitur; ergo in hac & similibus negationibus non consistit spatium imaginarium; res enim debet esse in spatio imaginario; nihil autem esse potest in eo quod per ejus positionem tollitur. Dico itaque, spatium imaginarium consistere, vel in negatione Chimære, Hippo-cervi ex gr: aut Tragelaphi, secundum diversas partes heterogeneas undique in infinitum diffusā, quæ tolli nequit, cum Chimæra à parte rei poni non possit: vel consistit spatium imaginarium in negationibus ubicationum, juxta dicta in Phys. Disp. 33. sect. secundā.

Objicies secundo: Deus, & res positivæ existere nequeunt in negatione, ergo spatium imaginarium in negatione situm esse non potest. Contrā, juxta Theologos, negationes variæ sunt in Deo, utpotè per quas attributa ejus negativa secundum illos constituntur: item tenebræ sunt in aëre, cæcitas in oculo, &c. Ergo & Deus, & res positivæ poterunt esse in negatione, cum hoc aliud nihil sit, quàm illi coexistere, & intimè cum eā penetrari.

Objicit tertio P. Granada sectione secundā, numero octavo, Patres qui asserunt Deum ante mundum conditum, non in loco ullo extitisse, sed solum in seipso. Deus, inquit S. Augustinus in Psalm. 122. antequam faceret cælum & terram, ubi habitabat? in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et Tertullianus libro contra Praxeam: Ante omnia Deus, inquit, erat solus, ipse sibi locus & omnia. Quod etiam passim affirmant alii Patres. Respondetur. Solum velle Patres, Deum ante mundi creationem non fuisse in ullo loco reali, qui simpliciter dicitur locus, non tamen negant fuisse ipsum rerum creaturarum negationibus intimè præsentem; imò hoc est necessarium, hæ enim negationes erant ab æterno, cum res positivæ ab æterno non fuerint; alterum autem

II.  
Spatium ima-  
ginarium  
nec quid fi-  
ctitium est,  
nec omnino  
nihil.

Alterum ex  
contradictoriis  
semper  
esse debet,  
& ubique.

III.  
In quibus  
negationibus  
situm  
sui spatium  
imaginarii.

IV.  
Quo modo  
res positivæ  
existere possunt  
in negatione.

V.  
Quo sensu  
dicant Pa-  
tres, Deum  
ante mundi  
creationem  
existisse solum  
in seipso.

ex con-